
Altera Apologia pro REGE CHRISTIANISSIMO contra Cæsarianos, in qua de causis belli inter Regem & Cæsarem recens orti breuissimè & verissimè agitur.





LVTETIAE,

Apud Carolum Stephanum, Typographum Regium, è regione scholæ Decretorum.


M. D. LII.

Cum priuilegio Regis.



Altera Apologia pro Rege

CHRISTIANISSIMO CONTRA Cæſarianos, in qua de cauſis belli inter Regem & Cæſarem recens orti breuiſſimè & veriſſimè agitur.



STENDI ſuperiore Apologia Cæſarianorum in accuſando Rege leuitatem & impudentiam, confictáq; ab illis de re Turcica mẽdacia tam multis perſpicuiſque rationibus refutaui, vt cùm æquis rerum æſtimatoribus, tum omnibus veritatis ſtudioſis abunde ſatiſfactum eſſe putem. Nunc eas cauſas explicare inſtitui, quæ Regem in Cæſarem concitarunt, vt quando nec fœderibus ſteterat, nec legibus obtemperarat, Rex animũ ad arma cõuerteret, quibus non ſolùm dignitatem & exiſtimationem tueretur, ſed ſuas, ſuorúmque fortunas ab iniuria vindicaret: eáq; conſeruaret quæ alioqui ad prædam & libidinem hoſtis acerrimi patebant, niſi quammaturrimè eius conatibus obuiam itum

esset. In quo si docuero, Regem nihil vnquam aut spectasse magis, aut optasse potius, quàm publicam Christianorum trãquillitatem & pacem, multas etiam Cæsaris graues iniurias aut cõtemnendo obliterasse, aut dissimulando prætériisse, magísque publicæ quietis, quàm priuati doloris, & læsæ existimationis rationem habuisse: cõtrà, si ostendero, Cæsarem & fœdera violasse, & tranquillitatem omnem interturbasse, eundem authorem vnum & principem belli Parmensis, facémque incendii illius, quo nunc Italia, ac tota penè Europa flagrat, extitisse: insuper præclara illa religionis, iustitiæ, atque æquitatis nomina ad hunc vsque diem illum vsurpasse, vt his tãtùm ad suam vtilitatem, & amplificandam, stabiliendámque potẽtiam abuteretur, equidem in spem maximam adducor, & propemodum cõfido fore, vt Regis innocentissimi integritatem, & Cæsaris perfidiam homines agnoscant: & tandẽ aliquando intelligant, qua simulationis specie incredibilem dominandi cupiditatẽ, ac iniustos omnes conatus suos texerit. Quæ si, vt cupio, & rerum magnitudo postulat, accuratè exposuero, existimabo me Regẽ omni vel minima criminis suspicione liberasse, & cumulatè respõdisse ad impuros illos libellos qui per Germaniam, Italiam, aliásque orbis terrarum prouincias à Cæsarianis disseminati sunt: ac tandem effecisse, vt leuissimi calumniarum artifices omnem posthac cõmen-

tis suis ac dictis fidem abrogatam intelligãt: modò hæc quæ institui, æquis ac libentibus animis, perinde vt ea quæ nuper de re Turcica in mediũ attuli, accipiãtur. Itaque cùm Cæsariani dicendi exordium faciãt ab his quæ apud Insubres contigerũt, primùm de negotio Placentino agã, vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa belli Parmensis ducitur. Satis cõstat Placentiam, Parmámque iamdiu in ditione Romani Pontificis esse: nec Cæsar inficiari potest (vt de Maximiliano eius auo interea taceam) fœdus iniisse cum Leone decimo Pontifice Max. in quo receperat sanctissimè esse obseruaturum, diligentissiméque facturum, vti hæ duæ vrbes in fide Ecclesiæ Romanæ perpetuò cõseruarentur: quas etiam promiserat à Francis defendere, qui ex iure Ducatus Mediolanensis eas sibi asserebant. Igitur cùm citra controuersiam iuris Ecclesiastici ac ditionis essent, compensatas cum aliis vrbibus ac ditionibus Paulus tertius Pontif. Max. ea lege & conditione tradidit Petro Ludouico filio, eiúsque posteris, vt eas beneficio sedis Apostolicæ possiderent. Hoc factum Cæsar non improbauit, cùm alias ob causas, tũ maximè, quòd filiam naturalem Octauio Farnesio Petri filio in matrimonium collocauerat. His rebus sic compositis aliquo pòst tempore, anno M.D.XLIIII. secutum est fœdus Crecense inter Franciscum Regem & Cæsarem, in quo Pontifici Ro. sedíque

Apoſtolicæ ita cautum eſt, vt niſi violata fide lædi ab vtrouis non potuerit. Itaque Cæſar Regis amicitia confiſus, animum ad bellum Germanicum appulit: in quo non dicam quantum adiumenti afflictis illius rebus auxilia pontificia attulerint: nec quemadmodum auctis inde viribus, & confirmato exercitu, bellũ illud ex ſententia propè cõfecerit, penes illos ſit fides qui interfuerũt, & inquantum diſcrimen Cæſar eſſet adductus, viderunt. Illud certè Cæſar negare nõ poteſt, quin Farneſiis plurimum debeat, cùm propter copias, quas maximis impenſis in Italia coactas in mediã vſque Germaniã duxerunt, tum quòd dubiis belli caſibus eandem cum illo fortunam ſubierunt. Quænam autem beneuolentiæ remuneratio ſecuta eſt? aut quam talibus promeritis gratiam retulit? Nempe cùm nihil amplius ei opus eſſet externis auxiliis ad perſequẽdas eius belli reliquias circa annum M.D.XLVII. accidit vt Petrus Ludouicus Dux Placentiæ, quorundam eius vrbis ciuium cõſpiratione, & communicato prius (vt veriſimile eſt) cõſilio cum Ferdinando Gonzaga, Cæſaris apud Inſubres legato, multò crudeliſſimè, multòque fœdiſſimè trucidaretur, direpta eodem impetu eius domo, ac Placentia Cæſari dedita: ipſe etiam Gonzaga, infeſto exercitu, fines ingreſſus, agri Parmẽſis arces, caſtellaq; aliquot vi occuparet, & bello oppidanos laceſſeret, quòd deditionẽ facere nollent. Ex quo iudicari

poteſt iam tum non ſolùm occupanda Placẽtia, cuius tamen rei factũ ciuium deditione prætexitur, ſed etiã petendis Parmenſibus, qui nunquam à domino deſciſcere cogitauerant, initium belli mouendi ductũ eſſe. Etenim his Cæſar arces aliquot & partem agri ademit, quæ omnia etiã nunc retinet: deinde inducias fecit, quæ nunquam pactæ fuiſſent, ſi bellum non anteceſſiſſet. Quibus rebus cognitis, nemini poterat eſſe dubiũ, quin Rex iuſtam cauſam veniẽdi ad arma propter fœdus violatũ haberet, & vt Romanæ Eccleſiæ, quæ ab illa erant ablata, reſtitueret. Erat autem ad bellãdum eo tẽpore inſtructiſſimus: habebat ſub ſignis magnum veteranorũ peditum numerum, cùm ſuorum, tum externorum qui ſibi merebãt, ex quibus, & ex equitatu, quem alit perpetuum, poterat magnum & fortiſſimum exercitum cogere: cúmque primo quoque tempore, non ſine certa ſpe victoriæ in Italiã immittere, præſertim cùm Cæſar bello Germanico defeſſus & exhauſtus, graui diuturnóq; morbo affligaretur, vt magis de morte, quàm de nouo bello ſuſcipiendo, in quo ſuperiores ſucceſſus periclitaretur, cogitare deberet. Verũ enimuero Rex, cui ſemper Chriſtianorũ tranquillitas prima fuit, his non eſt vſus opportunitatibus: quòd mallet quauis cõditione potius, quàm armis de iure publico diſceptare, & putaret pro ſua dignitate debere præſentẽ occaſionem totius Europæ quieti dimittere: atque eò

magis, quòd persuasum haberet Cæsarē religione impeditū iri, ne in iniusta possessione rei Ecclesiasticæ diutius maneret, cuius vbique patronū se & vindicem profitetur. Præterea, nemo non credebat, quin propter tantā affinitatis coniunctionem, quam cum Farnesiis habebat, esset in gratiam filiæ, genero quod suum erat, redditurus. Interea multis verbis vltrò citróque de restituēda Placētia habitis, Cæsariani de sui principis voluntate tam prolixè promittebant, vt Episcopus Fanensis, Pontificis legatus, qui totum hoc negotium procurabat, palam omnibus locis iactaret se planè perspectum habere Cæsaris & sensum, & animum de huius vrbis restitutione. Quæ tum opinio hominem fefellit, & tandem (licet serò) quantum differant inter se, præstare & polliceri intellexit. Postquam Paulus Pontifex pro malè collocato prius beneficio vidit hanc iniuriam sibi ac suæ familiæ fieri, & omni spe impetrandi ablata, obstinatè sibi negari quod postulabat, veritus facilitatem suorum, & diffidens Cardinalibus nepotibus, ad quos amplissimus prouentus ex sacerdotiis, quæ in Cæsaris ditione habebant, quotannis redibat, ne Parma quoque amitteretur: hanc constituit præsidio firmare, præfecítque ciuitati Camillum Vrsinum cum iusta militum manu, vt illam Ecclesiæ Romanæ nomine tueretur. His ita constitutis, Paulus Pōtifex iam extrema senectute grauis, & animi dolore confe-

ctus, moritur mandato prius dato (vt ferunt) de Parma nepoti suo Octauio reddenda. Cui parere Camillus distulit, vel quod literis, quas Pontifex iam animam agens scripsisse ferebatur, fidem nõ adderet: vel quod illas extincto Pontifice recepisset, & vrbem successori, quicunque is tandem esset electus, conseruare constituisset. Cardinales continuo Romam conuenerunt, & habitis Comitiis agi cœptum de nouo Pontifice creando. Nec Cæsar interim sibi defuit: sed quantum in illo situm erat, enitebatur & contendebat, vt Parma suæ fidei crederetur, quã sedi Apostolicæ seruaret. Quod quanuis maximopere flagitaret, non potuit obtinere. Enimuero id si fieret, Rex prospiciens magno cum Ecclesiæ Romanæ detrimento futurũ, sua liberalitate & diligentia cauerat, vt qui vrbẽ præsidio tenebãt, in ea custodienda vsque ad noui Põtificis creationẽ, cui in integro tota res esset, constanter perseuerarent. Quæ vero consecuta sunt, patent illa, in promptúque sunt omnibus. Nam statim vt hic Iulius Pontifex renuntiatus est, mandauit Parmam Octauio Duci restitui. Quod & factum est, Rege haudquaquam reclamãte aut aduersante, licet in eam vrbem seruandã nullis sumptibus pepercisset, quod honestatem magis quàm vtilitatem spectaret: & mallet eo beneficio Ecclesiam Romanam deuinctam habere, quàm augendi adipiscẽdíque commodi causa videri aliquid de possessione Eccle-

ſiaſtica detraxiſſe. Paulò pòſt nouus Pontifex non ſignificauit modò, ſed etiam declarauit Octauio, ſe nolle amplius ſtipendiũ, quod illi Parmæ tuendæ nomine decreuerat, & menſes aliquot exoluerat, vltrà numerare. Qua re vehementer perculſus Octauius, qui in Pontifice omnem ſpem collocauerat, ibi tum exponere ſuã tenuitatem, poſtulare ne ſe deſereret, & quantum mali, ſi deſtitueretur, inde impendêret. Quid multa? Nihil aliud æquiſsimis eius poſtulatis reſponſum, niſi vt vndecunque poſſet, præſidium peteret, id illi per Pontificem licere. Hæc porrò mutatio voluntatis, vt præter ſpem, & contra opinionem omnium accidit, ſic non parum admirationis initio habuit. Atq; hoc etiam magis, quòd nulli nõ erat cognitum, quantum Pontifex Farneſiorum familiæ deberet, cui prima ac præcipua fortunæ, honoris, dignitatis incrementa & ornamenta accepta referebat: tum quòd videbant nobilem adoleſcẽtem in maximum periculum, & extremum penè diſcrimen adduci, ſi Cæſaris fidei ſeſe credere cogeretur, quem tam iniquum in retinenda Placentia expertus eſſet. Itaque cùm non ſolùm huius adoleſcentis afflicta fortuna multorum opes alliceret ad miſericordiam, ſed etiam maxima Eccleſiæ Romanæ res ageretur, Regii Legati, qui id tẽporis Romæ erant, omni ſtudio & diligentia cõtenderunt, vt Pontificem ad meliorem mentẽ reuocarent. Nec tamen aliud im-

petrarunt, quàm vt declararet id gratũ sibi, acceptúmque fore, si Rex Parmam tuendam reciperet, modò id quidem sine ipsius interuentu fieret, vt Cæsaris, quem iratum habere nollet, offensionem & inuidiam declinaret. Itaque cùm videret Octauius, se in has angustias adductum, vt nihil à Pontifice sperare, à Cæsare tristia omnia expectare haberet, ad Regẽ confugere decreuit, egitq; suppliciter cum illo, vt Parmam, quæ ad se iure pertinebat, tuendam reciperet. Non potuit Rex pro insita animi bonitate atq; magnitudine adolescenti primario, præsertim iusta petenti, & honesta cupienti, negare: tum maximè, quòd eius postulata ad dignitatem Ecclesiæ Romanæ spectarent, cuius maiores sui omni memoria vindices, atque amplificatores fuissent: tum verò authores, vt Parma in ditionem atque potestatem Pontificum veniret. Quo magis sua intererat, ne à quoquam teneretur, nisi à Pontifice, aut ab eo qui se Pontificis clientem profiteretur. His Romæ cognitis, cùm Pontifex sua se opinione deceptum videret, quòd Octauium tot, tantísque difficultatibus affectum atque afflictum, vrbem Cæsari dediturum putauerat: adductus præterea ingentibus Cæsarianorum promissis, quibus iam plane hominem, eiúsque affines beauerant, animum ad bellum conuertere, auxilium à Cæsare petere, delectus equitum atque peditum habere, denique Gonzagam ipsum in Parmenses mitte-

re, vt illorum ciuitatem obsideret. Regi cùm nuntiatum esset, Pontificem tãta ira præcipitem ferri, quãta maxima post hominum memoriam in sene sacerdote & Pontifice non est audita: illum etiam toto animo, & studio omni in bellum incumbere, curam ea persona, quã gereret, prorsus indignam, ne Mirandula Parmæ vicinior interciperetur, hanc statuit auctiore præsidio confirmare. Itaque mandauit Brissaco Pedemontii Præfecto, Legato suo, vt ex veteranis militibus aliquot cohortes eo loci subsidio mitteret. Hi viam ingressi, securè per fines Mediolanẽsium sine iniuria & maleficio transibant, nihilque hostile pacatis tranquillisque temporibus inter socios atque fœderatos expectabant. At Ferdinandus Gonzaga, cui nihil prius erat, quàm facem ad hanc belli materiam immittere, cuius primum incendium perfacile poterat extingui, si æquissimis cõditionibus, quas Rex initio proponebat, fuisset datus locus: illos dispalatos & necopinantes adortus, cæpit. Et postquam aliquot diebus in custodiam inclusisset, & quæstione habita nihil comperisset quamobrem in eiusmodi homines publicè animaduerteret, alios secretò trucidauit, alios demersit, alios ad triremes dãnauit, omnẽm que in illis crudelitatem suam & inhumanitatem deprompsit. Nec contentus his, cũ delecto exercitu profectus, Mirandulam circumuallauit. In qua obsidione quid commiserit, quid egerit, ni-

hil dicam, quòd compertum habeã, rem omnem in oculis, auribus, & recenti omnium hominum memoria versari. Proinde, Rex cùm videret non solùm amicos Parmæ obsessos, quos honestè deserere non poterat, sed etiam aperto Marte Mirandulam impeti, quam semper suam duxisset, quámque non minore cura tueri, quàm cæteras auitæ, patriǽque hæreditatis vrbes vellet, id quod apud Cæsarem testatum sæpenumero reliquerat, necessariò ad arma venire coactus est, vt iniurias, quas bello iam minimè dubio hostes inferebant, propulsaret, & vlcisceretur. Ex quo fonte fluxerunt quæ pòst, terra & mari vtrinq; gesta sunt. Hæc, sicut exposui breuiter & dilucidè, remotis verborum calamistris, ne orationi fides detraheretur, si nimis elaborata, nimísque ornata appareret, ita prorsus se habent, quæ & orbis terræ iudicio comprobantur, & patent ex publicis actis Senatus Pontificii, & omnium Legatorum, qui vbique gentium id temporis fuerunt, literis ac memoria teste commendantur. Quinetiam Cæsar inficiari non potest, hæc eadem intellexisse ex oratione Legati Regii, qui tum apud eum agebat. Hic precibus omnibus principem eum de proposito susceptóque consilio depellere quàm sæpissimè conatus est, cùm diceret, quicquid à Rege de negotio Parmensi tentatum esset, id solùm tuendi patrimonii Ecclesiastici causa esse factum: nihil aliud spectasse, id liquidò confirmari

ex eo subsidio, quod Parmensibus in interregno Pontificio miserat: præterea addebat, per Regem licuisse Octauio statuere quid faciendum putaret de ea vrbe, modò ne interuerteretur, & ad alium, quàm ad Pontificẽ, aut Ecclesiæ Romanæ clientes, vt nuper de Placentia acciderat, trãsferretur. Itaque mirari satis nõ possum, quid causæ fuerit, cur hanc iustissimã Parmæ propugnationẽ Cæsar improbaret, cùm de Placẽtia ab eo per vim, pérq; summam iniquitatem occupata nemo expostularet. Neque enim violãti fœdera, & possessiones Ecclesiasticas vsurpãti, arma inferre propositum fuerat, sed satis erat nimiæ hominis ambitioni tanquam frænos iniicere, ne longius euagaretur, néue Parmam inuaderet, quam omnibus precibus, omni cura, opera, diligentia, gratia sibi vendicare contẽdebat. Ego verò illos qui iussu Pontificis id factum dicunt, & excusant quòd Cæsar filius obsequentissimus patri Sanctissimo auxiliũ aduersus illos, qui ab eo defecerãt, negare non potuerit: orabo, atque obsecrabo, vt si incorruptè iudicare voluerint, rẽ per se sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio & sine liuore candidè expendant. Nam si ad defectionem Octauii respiciãt, proculdubio reperient tantũ cedere vrbe sua Cæsari noluisse. Quòd si obiiciant, ad Regem transfugisse: respondeo id Pontificis voluntate factum, qui huic facultatem opis à quocunque implorandæ fecerat, eóque adolescentem

difficultatis, atque desperationis redegerat, vt ab omnibus exclusus, ad solum Regem perfugere potuerit. Præterea quænam aut diuina aut humana lex clientem defectionis damnauerit, qui nihil contra fidem, quam Principi suo præstare tenetur, aut molitus fuerit occultè, aut pepigerit apertè? Quòd siquis Octauium aliter fecisse contendat, aut à Rege alia conditione in fidem receptum, iam ipse probet, aut finem tandem calumniandi faciat. Nam quod Cæsariani obloquuntur, nullum studii aut obseruãtiæ officium ab Octauio in Regem prius fuisse profectum, sed ipsi Cæsari addictum, deditum, affinitate obstrictum: næ illi dum obtrectare volunt, summis laudibus Regem ad cælum euehunt: qui misericordia ductus, tuendum susceperit adolescentem primarium, desertum ab iis, quorum opibus sustentandus erat, & præstiterit id quod ii qui eum oppugnant, cùm iure affinitatis, tum ipsius merito & suorum præstare debuerant. Nec enim audiendi sunt, qui negant quenquam ab alio iuuari oportere, de quo non sit prius benemeritus, vt non ineundam, sed tantùm referendam gratiam putent. Quo vno splendor benignitatis, vis amicitiæ, societatis humanæ prima coniunctio tolleretur. Quin potius in principe hoc maximè officii iudicandum, vt quisque sociorum aut amicorum maximè opis egeat, etiam si nondum profuerit, aut nunquam sit profuturus, ita ei po-

tissimum opitulari. Hoc clarissimi reges atque Imperatores, hoc potentissimi populi quondam fecerunt, quorum res gestæ atque virtutes iisdem quibus solis ambitus regionibus ac terminis cótinentur. Hoc Assyrii, hoc Persæ, hoc Macedones, & Romani omnium gentium literis ac linguis celebrati, qui terra & mari longè latéque rerum potiti sunt. Hoc denique Reges Franci secuti sunt, qui imperiũ beneficiis magis, quàm armis retinendum semper putauerunt, qui bella potissimum in gratiam illorum susceperunt, qui iniuriosius tractati ad se confugerant. Itaque cùm Octauius peteret, vt se quoque sicut cæteros, dignum Rex existimaret, cuius salutem defenderet, non potuit eius iniurias negligere. Recordabatur idem fuisse factum superiore memoria in Duce Ferrariensi. Ex hac vna re maximam laudem cæpisse maiores suos, quòd socios æquitate & fide defendissent. Sic belli vtilitatem, sic pacis dignitatem, sic regni gloriam præclarè sustineri arbitrabantur. Nã quos ab imminentibus periculis liberauerant, non per vim retinendos ædificandis, aut occupandis, struendísve arcibus putauerunt: quod Florentiæ, Senis, & aliis locis aliter Cæsarem constituisse videmus. Nó virtutis suæ præmiũ & fructum aliorum seruitutem, sed gloriam, quam ex rebus bene gestis referrent, spectauerunt: nec aliam laborũ remunerationem quæsierunt, nisi vt qui beneficium accepissent, si modò

modò beneficio digni essent, memoria tenerét. Itaque effecerunt, vt regnum Franciæ, afflictorum exterorum perfugium, & patrocinium orbis Christiani verius quàm imperiū nominari posset. Qui igitur Regem culpæ arguút, quòd Octauium hominem de se nunquam benemeritum in fidem receperit, hi mediussfidius apertè probant ignotum à Rege Franco maiorem iniisse gratiam, quàm generum à socero, & clientem à patrono: quem propter magna in se merita & amare maximè, & iuuare plurimum debuerat. Porrò autem cùm Pontifex Cæsarem vellet, iuberet Octauium bello persequi, hoc videbatur durius agere, quòd non in eo euigilabat, vt Placentiam reciperet, quæ vi retinebatur, sed vt Parmā quoque colore quæsito Cæsari māciparet. Quo magis Cæsar reprehendendus, qui Pontifici perniciosa, & iniusta iubenti obtemperarit: præsertim cùm illa omnia eò spectasse constet, vt non solùm Placētia potiretur, quam præter æqūum & honestum interceperat: sed vt Parmam quoque in potestatem redigeret, & propter egregia illa merita, quæ tam rationibus suis consentiebant, quàm Ecclesiæ Romanæ incommodabant, aliquādo partem prædæ ad Pontificis nepotes trāsferret: sic oportere hanc quoque familiam ornari, & ex ruinis aliorum crescere. Atque vt id Pontifex assequeretur, mandabat Cæsari, non vt arma Turcis inferret, alioqui infensissimis Chri-

ſtianæ religionis hoſtibus, quorum vires magis ac magis quotidie augeſcunt magno Reipublicæ Chriſtianæ incommodo, ſed maximo & præcipuo Regis Romani Cæſaris fratris malo, qui primus propter propinquitatem impetus eos ſuſtinet, ſed vt familiæ Farneſiorũ exitiũ pararet, quorum opibus & gratia creuerat. Atque vt hæc celerius ſuccederet, iubebat ſanctiſſimus Pater initiũ belli ab agro Parmenſi vexando duci, vt miſeri illi, qui propter inopiam & caritatẽ annonæ ſuperioris, extremam propè famem tolerauerãt, longè triſtiora expectarent, dum frumenta ſua & reliquas fruges, quæ iam matureſcere incipiebant, corrumpi, omne pecus abigi, pagos exuri, agros vaſtari, ſpem omnem miſericordiæ præcidi viderent. Noluit interea clemẽtiſſimus Pontifex illos ſtatim ferro abſumi, ſed paulatim fame intabeſcere, vt bona, fortunas, coniuges, liberos rapi, fana atque domos ſpoliari prius cernerent, quàm propera morte tantas calamitates anteuerterent. Quæ tamen omnia non ob cauſam aliam perferebant, niſi quòd ſub ditione Eccleſiaſtica viuerent, eique Principi parerent, quem à Pontifice accepiſſent. Hæc eſt beatiſſimi Papæ humanitas, hæc clementia, hoc officium Patris ſanctiſſimi, ſummi religionis antiſtitis: cuius omnes actiones, omnia ſtudia, atque conſilia ad pacem & cõcordiam, non ad bellum atque ad arma ſpectare debuerãt. Adeòn' tanta iracũdia præ-

cipitem ferri, vt propter cupiditatem priuatam conciliū publicum Christianorū, (vnum componendis his cōtrouersiis, quæ nostra memoria in religionem irruperunt, aptum remediū) quod ille paulò antè indixerat, & cōuocauerat, interturbaret? Quid? sanctissimus ille Pontifex committit inter se Principes Christianos, quos, vt parens filios, conciliare debuerat: concitat Cæsarem maximū natu filium in Regem fratrem, vt bellum populationibus & incendiis hostiliter inchoet, in eóque inchoādo barbarorum omnium crudelitatem & immanitatem superet, præsertim eo tempore, quo spes sarciendæ concordiæ, ac ineundæ pacis nondum exciderat. Nam cùm Pōtifex Ascanium Corneum sororis filium cum mandatis ad Regem misisset, tametsi ille fuerat & libenter acceptus & auditus, ea tamen fuit impotentia animi, vt nec eius reditum præstolari, nec Monlucii aduētum expectare vellet: tametsi magnis, diurnis, ac nocturnis itineribus Romam contendebat, vt Pontificem de Regis voluntate certiorem redderet: quin potius exercitum conscriptū in agrum Parmensem immisit, vt omnia igne ferróque fœdaret. Sic enim existimauit fore, vt Rex, qui nihil magis quàm quietē Italiæ, pacē prouinciarū, salutem orbis Christiani procurabat, hoc facto vehemētius commotus, spem omnem concordiæ deponeret. Possem in hanc sententiam plura dicere, sed vereor vt hæc quo-

que nimis multa esse videantur. Nam de tantis rebus neque satis grauiter disputare, neque satis commodè licet expostulare. Itaque continerem meipse à dicendo perlibenter, nisi animaduerterem Cæsarianos, vt factum Placentinum excusent, multa proponere. Imprimis omnem eius tempestatis causam conferre in sceleratam Petri Lodoici Farnesii vitam, qui vrbem prius tenebat, contendere illam ditionis Imperatoriæ fuisse: deinde testatam proferre Cæsaris voluntatem, qui recèns declararit se non laborare de Parma, modò ad Pontificem rediret: tum ingratos criminari Farnesios in ipsum Cæsarem, non fuisse ab officio discessuros, non Cæsaris gratiam repudiaturos, si beneficia illius in se, si plenas amicæ voluntatis & voces, & cohortationes satis attendissent, Pontificémque audissent, cùm de compensatione Parmæ ageretur, illum loco Parmæ proposuisse Ducatum Camerinum, præfecturam vrbis nouæ, & octona milia nummûm aureorum in singulos annos, pòst proferre in medium sententias aduersus Octauium vt contumacem, nec dicto audientem latas, quarum executio Cæsari mandata. Tum ad extremum quæ rationes secundum ea Cæsarem adhortatæ fuissent, quare iuuãdum armis Pontificem duceret in causa publica, non Pontificis solùm, sed etiam totius Italiæ. Quibus ex rebus iudicari posse, nihil fuisse causæ quamobrem Rex vrbis à se longissimè dis-

iunctæ propugnationem sibi cogitandam, & tantis sumptibus suscipiendam putaret, vt Asylum totius Italiæ exulibus tantum aperiret. Ita dum Cæsarem & Pontificem de negotio Placentino purgant, Regis famam apertè lædere conãtur, & Octauiũ sicuti perduellionis reum omnium sentẽtiis damnari postulant: siquidem iudices tam promptos & paratos ad damnãdum, quàm ipsi ad criminandum expediti sunt, nanciscerentur. Hæc sunt ferè argumenta, quæ vbiq; gentium crebrò ab inimicis Regiis, ab improbis sæpe iactantur, & in falsa criminatione publicè etiam paulò antè à Cæsarianis proposita sunt, quæ mihi ordine confutanda videntur. Ita facillimè quæ res sint inter maximos Principes controuersæ, & ab vtra parte stet ius æquúmque, intelligetur. Primùm, quod ad Petrum Ludouicũ attinet, si talis fuisset, qualẽ Cæsariani criminantur, (nam alioqui non est propositũ vt mortui manes interpellem) equidem miror tantum Imperatorem, tam pium, támque iustum, qualis vult haberi, sese tam arcta affinitate coniunxisse cum homine, vt sui prædicãt, omnibus vitiis inquinato: nisi fortè suspicemur hoc consilio factum, vt tantisper eo vteretur, dum vtilem suis rationibus putaret: pòst tolleret è medio, quoties sibi collibuisset. Verum esto, tam malè fuerit de suis ciuibus meritus, vt de eo interficiendo coniurarint: quis Cæsarem eius criminis, de quo

quæstio nulla haberetur, iudicem constituit? Cur nondum sentētia dicta rem ad executionem deduxit? Cur in hæreditatem mortui, quæ ad generū iure redibat, inuolauit? Deinde, quis tam cæcus, vt non videat, aut tam stupidus, & rudis rerum, vt non intelligat hæc omnia à Cæsarianis procurata, prouisa, & deliberata? Placentini Petrum Ludouicum impetunt, obtruncant. Ferdinandus inter hos tumultus vrbem adortus, in societatem prædæ sese offert: oppidani deditionem faciunt. Omnia agri Placentini castella armis & militibus Cæsarianis cōplentur: nonnulla etiam in Parmensium finibus expugnantur: & tamen, quod suprà attigimus, Parmenses nunquam adduci potuerunt, vt à domino deficerent: sicuti nec Placentini ante eam cædem perpetratam, vllam defectionis significationem dederant. At Ferdinandus Gonzaga vt hoc factum ementiendo adumbraret, homo sapiens, & alta quadam mente præditus, voluit probare rudioribus, & qui propius eum non nouerant, innocentiam suam atque integritatem. Voluit eorum criminum, quorum antehac insimulatus fuerat, cùm in Galliis, tum Romæ, & alibi gentium suspicionem dimouere: voluit notā, quæ suo nomini ex eiuscemodi accusationibus ad sempiternam ignominiam est inusta, eluere. Deinde cùm pacis publicæ commoda priuatis necessitudinibus ab ineunte ætate potiora habuerit, nihil minus labo-

rarit, quàm de re amplificanda, maluerit semper de suo largiri, quàm alienũ rapere: ad extremum, non potuisse adeò sui obliuisci, vt in gratiã Cæsaris, & quærendi sui commodi causa, Duci Placentino, eiúsque fortunis insidiaretur: tantùm spectasse, vt in subito rerum nouarum motu vrbem præsidio retineret, de qua postea Cæsar ex sentẽtia & arbitrio statueret. In quo si dum operam Principi suo diligentius nauat, aliquid offensum secus ac oportuit, præter naturam idquidem, ac certè contra consuetudinem: hoc iustiorem mereri veniam, quòd in cæteris quæ adhuc egisset, conscientia optimæ mentis niteretur, nec vllius culpæ affinis reperiri posset. Sed vtcunque sit, viderint omnes Principes Christiani, qui Ferdinandum vel de facie, vel de nomine & fama nouerunt. Quáobrem, vt ad rem redeamus, vnum lubẽs ex Cæsarianis sciscitarer: nẽpe si Cæsar non debuit oblatam à legato Placẽtiam repudiare, quo tamen iure vrbem retinere hoc tẽpore conetur, quam ipse, suíq; maiores semper ascripserunt, attribuerúntq; Põtificibus, & omni studio & viribus contẽderunt, vt in ditionem Ecclesiasticam redigeretur, quotiescunque aut alienata ab ea, aut esset erepta? An ignorat fœdus quod An. M. D. XI. Iulius secundus Pontifex maximus, Maximilianus Cæsar, Rex Hispaniarum, cognomento catholicus, & Veneti inter se inierunt, quo sancitum est vt armis oppida Ec-



clesiasticæ ditionis repeteretur, quæ tum à Francis tenebantur. Cúmque ex eo fœdere Placentiam & Parmam recepissent, Iulio restituerunt, quarum postea, quoad vixit, potitus est. Eo mortuo, Dux Mediolanésis qui ambas occupauerat, Leoni decimo qui successit, statim vt audiuit Pótificem renuntiatum, restituit. An potest & aliud fœdus inficiari, quod separatim anno M. D. X V. Maximilianus cum Leone fecit: & quemadmodum Cæsar sua cõfirmatione recepit curaturum, vti Parma & Placentia Ecclesiæ Romanæ redderentur? quarum etiam nomine Pontificem in fidem esset accepturus. Quocirca secũdum id fœdus Pontifex Cæsaris beneficio vtramque vrbem sine controuersia vsque ad Frãcisci Regis Principatum possedit. Exinde cùm Franciscus Rex post victoriam Marignanam, Parmam & Placétiam cæpisset, Cæsar maiores suos ipsorum vestigiis persecutus, in inuidiam Regis fœdus cum Leone x. Anno M. D. X X I. renouauit, in quo nominatim cautum de vtraque vrbe recuperanda. Quod & factum est, sic vt triginta plus minus annos vsque ad acerbissimum Petri Ludouici interitum Ecclesia Romana possederit. Nec verò prætereundum arbitror quemadmodũ Pontifex Cæsare postulante illos execrationibus publicis deuinciendos, & impiorum numero habendos indicauit, quicunque possessiones Ecclesiasticas occuparent, quíue Parmam & Placentiam

ad sedem

ad ſedem Apoſtolicam negarent pertinere. Quis igitur non miretur vnde Cæſar adduci potuerit, vt contra factum aui ſui, & beneficium ab illo conceſſum, contra fidem datam, contra iuſiurandum, atque adeò contra ſeueriſſimam Pontificis ſententiam, quam ipſe in alienos rerũ Eccleſiaſticarum poſſeſſores ferri voluerat, Placentiam per vim retineat, & in Parmã omnes machinas adhibeat, diriſq; illis quas in alios pronũtiari curauerat, ſeſe deuoueat? Interea tamen vbique dici & haberi velit primùm vindex religionis, deinde conſeruator ſedis Apoſtolicæ, poſtremò etiã defenſor Pontificum. Prætereo alia, quæ in hãc rem à legatis & internuntiis Pontificis cum Cæſare dicta & acta ſunt Anno M. D. XLIX. quibus non eſt aſſenſus. Tantùm ex ſententia cuiuſdam theologi Hiſpani ſodalis dominicani, quem tum habebat omniũ arcanorum cõſcium & moderatorem, reſponſum: quòd cùm ius Placentiæ eſſet controuerſum, in dubiis cauſam poſſidentis videri meliorẽ: atque ita poſſe, dum amplior huiuſce rei diſceptatio haberetur, (quæ ad Calendas fortaſſe Græcas fiet) vrbem Placentiam ſine ſcrupulo & labe conſcientiæ retinere. Ita viſum eſt venerabili theologo leges diuinas ex formula forenſi interpretari & illudere, vt hoc commento Cæſarem ſuum omni culpa liberaret. Miror igitur cur Cæſar grauiſſimi theologi ſententia abſolutus, alias retinẽdæ Placẽtiæ cauſas præ-

texat, ac dicat se restitutionem vrbis in aliud tempus distulisse, quod scilicet videret Paulum Pontificem à Placentinis auersissimo esse animo, & ab illis ob cædem filii pœnas maximopere expetere: se prospexisse, si vrbs in potestatem illius recideret, quanto id detrimento oppidanorum foret, qui de eo facinore omnes ad vnum idem consensissent. Quæ ratio si apud eum viuo Pontifice Paulo valuit, cur illo mortuo vrbem Iulio successori non reddidit, à quo Placentinis nihil mali impendebat? Cuius & integerrimi temperantiam, & iustissimi hominis fidem, & vnius post homines natos sanctissimi Pontificis integritatem vbique terrarum celebrat. At quis non videt, Cæsarem non solùm de retinenda Placentia, sed etiam de inuadenda Parma, iam inde ab initio cogitasse? Quis non audiit, quàm apertam animi significationem dederit, dum Camillo Vrsino, qui vrbem, mortuo Pontifice, præsidio retinebat, grauissimè minaretur, atque cum Venetis ageret, ne commeatu Parmenses iuuarent? Quinetiam, hoc Pontifice renuntiato, eius internuntii, qui apud Cæsarem agebant, sæpe declararunt, hanc fuisse Cæsaris mentem, vt Parmam sibi quouis pacto adiungeret: præcipuè verò Episcopus Fanensis, cùm esset allatum de Octauio à Rege in fidem recepto, palàm Augustæ in conuiuio testatus est, idcirco Parmam Cæsari ereptam, quòd in ea licitanda & mercan-

da nimium diu cunctatus esset: perinde quasi significaret, Cæsarem, si initio æquioribus conditionibus egisset, potuisse vrbem non magno pretio redimere. Non modò igitur nihil prodest, sed etiam obest Cæsari, quòd chirographo declararit, se Parmam Ecclesiæ Romanæ velle dimittere, ac nolle in eius possessione Pōtificem vltrà interpellare. Etenim hæc voluntatis illius declaratio non prius est audita, quàm conuenit inter ipsum & Pontificem de Parma ab Octauio repetenda. Itaque cùm Cæsar se de eo purgatum cuperet, quòd tantopere eam vrbem appetiuisset, & suspiciones occupandæ totius Italiæ, in quas principibus omnibus eius prouinciæ venerat, dimouere vellet, declarauit sibi satis esse, si Parma ad Pontificē rediret. Serò illud quidem, ac certè postquam cōsilia recuperandæ vrbis, quæ cœperat, minus succedere animaduertit. Quòd si aliquando id est ab eo promissum, & non repræsentatum: si fœdus violatum, quod iurauerat: deniq; si Placētiæ restitutioni consensit, quā nunc contra fidem, contra iusiurādum, contra beneficium aui sui Maximiliani retinet, quid facturum fuisse credas, vbi sub hac inani simulationis specie vrbem sibi ascripsisset? Quis putet defuturas illi rationes, quibus se iure eā possidere probaret? Eóq; magis, quòd illa sua declaratione saluum ius imperii esse voluit: Quo fit vt Parmam adeptus, facilè in integrum restitui postularet, si quid con-

tra ius Imperii promisisset: præsertim cùm is sit, qui aliis det leges, ipse non accipiat: nec credibile sit illi defuturum fraterculum arcanorum conscium, qui in dubiis iustiorem possessoris causam persuadeat. Quare nec Cæsar causam suam vana illa declaratione probare, nec Pontifex eo nomine Octauium dãnare potest, quòd æquissimas dirimendæ controuersiæ conditiones non admiserit: siquidem Cæsar hanc sui sensus significationem non prius, quàm recepto in fidem regiam Octauio, declarauit, quámq; omni spe potiundæ vrbis excidisset. Atque haud scio an id potissimum fecerit, vt se inuidia, quam maximam apud omneis principes conflauerat, quòd possessionibus Ecclesiasticis inhiaret, aliquo tandem modo expurgaret. Pontifex quoque cùm diris, fulminibus, & id genus terriculis Octauiũ ab instituto reuocare non posset, tũ amicas illas voces, Sirenũ cantus non absimiles emisit: vt quem minis ad se trahere non potuerat, saltem precibus & pollicitis deceptum in sententiam adduceret: ac demum suam existimationem tam integram in liberanda fide præstaret, quàm in exoluendo, quod in præsidium Parmæ prius constituerat, stipẽdio præstiterat. Cùm igitur Octauius Iulium Põtificem initio Põtificatus, quo tempore sibi maximè propitium existimabat, tam alienum sit expertus, haudquaquã debuit illi in gratiam Cæsaris omnia sibi aduersa molienti, & tan-

topere irato auſcultare. Porrò autem dū Cæſariani Regem leuitatis & imprudētiæ accuſant, qui Parmam à Francorum finibus longius diſiunctam tantis ſumptibus tuendam ſuſceperit, Farneſióſque ſibi parum vtiles, & opibus iuuandos, & in regiam affinitatem vocādos putauerit, equidem exiſtimo illos ex ſui Cæſaris ingenio & moribus alios ſpectare: quem dum vident amicitias & ſocietates ex cōmodo potius, quàm ex honeſtate probare, nullius patrocinium, niſi id ſuis rationibus expediat, ſuſcipere: Regem ad bene merendum de hominibus promptiorem, quod contra naturam & præter conſuetudinem Cæſaris id faciat, inconſultius agere vociferātur. Sed Reges Franci iam inde ab initio regni longè diuerſam regnandi viam ſibi propoſuerunt. Igitur nihil niſi quod honeſtū eſſet, aut admirantes, aut expetētes, omnia virtuti ſuæ peruia fecerūt: nullum bellum quātumuis longinquum & difficile refugerunt: non labores, non ſumptus inſolitos reformidarunt, dum laudem inde & gloriam adipiſcerentur. Socios & amicos coluerunt, non illos, quorum opibus potentiores eſſent, ſed quibus iuuandis clariores euaderent. Sæpenumero nullis precibus euocati, afflictis occurrerūt, non beneficia fœnerātes, nec gratiam ab his quos defendiſſent, aliam exigētes, quàm vt grati & memores in pace & otio viuerent. Teſtes huius fortitudinis & liberalitatis noſtræ omnes exteræ na-

tiones, omnes oræ atque maria: Testes Romani Pontifices: Testes tot Italiæ Principes, tot olim Pannoniæ, Græciæ, Hispaniæ, Angliæ & Germaniæ, propugnaculis Regni huius ab iniuria defensi: Testis Iudæa & Syria, ad quam liberandam ab Oceano terrarúmque vltimis oris ingentibus equitum peditúmq; copiis profecti, prouinciam ex Barbarorum faucibus eripuerunt. Nec verò propositum est hoc loco, Francorum singulas expeditiones, vel bellorum omnia genera recensere, nedum illorum præclarè res gestas commemorare: quæ cùm sint innumerabiles, tum illæ quidem nõ solùm nostris, sed penè omniũ gentiũ literis atque linguis celebrãtur. Quãobrem, vt ad Cæsarianos redeam, cùm ponderibus vtilitatis honestatem examinãt, mihi quidem illi videntur velle suum Cæsarem excusare, quòd fratrem alioqui per se parum potentem Turcis opposuerit atque obiecerit: qui tametsi cum illis, quotidianis ferè præliis contendit, dum aut reliquam Pannoniã inuadunt, aut clientes suos cum liberis & vxoribus in teterrimam seruitutem abducunt, Cæsar vires suas in illos non conuertit: quòd intelligat quanto periculo cũ illis, & quàm minima spe commodi augendi armis disceptaretur. Rex autem qui se his maioribus, quos modò commemoraui, natum recordaretur, non potuit Octauium, & indigna patientem, & supplicẽ negligere. Imprimis, quòd oppressum ab his,

à quibus debuerat iuuari, videbat: deinde quòd
intelligebat Parmã, quæ in ditione Eccleſiæ Ro-
manæ iãdiu tenebatur, ab alienis intercipi, quod
ſibi non ferendum arbitrabatur. Iam verò cuius
eſt ſtultitiæ mentionẽ facere illius affinitatis, qua
Rex Horatiũ, Octauii fratrem, ſibi deuincire vo-
luit? An ignorant, Franciſco Rege adhuc viuo,
primùm de ea re agi cœptũ: deinde poſt initum
à ſe Regnum pactam & confirmatam, cùm ne-
mo id tẽporis de Parma cogitaret, necdum Pla-
cẽtia eſſet occupata? Qui igitur id Regis factum
reprehendunt, tantùm abeſt ne Regem vitupe-
rent, vt magis laudare non poſſint: qui cùm flo-
rentibus Farneſiorũ rebus filiam naturalem Ho-
ratio deſpondiſſet, poſt interitum Pauli Pontifi-
cis, inclinata ac propè iacente eius familiæ fortu-
na, nihilominus fidẽ liberare decreuerit. Sed, ne
cui mirum eſſe videatur, tandiu me his diſpu-
tandis hæſiſſe, petam ab illis, in quorum manus
hæc ſcripta peruenient, hanc mihi veniam dari,
accommodatam magnitudini rerum, & accuſa-
tioni aduerſariorum, qui cùm cauſæ diffiderent,
& multitudine ac varietate argumentorum tene-
bras veritati obducere conarentur, neceſſe habui
accuratius ad ſingula reſpondere, vt tandem o-
mni errore ſublato tantæ controuerſiæ intelligi
poſſent. Reliquum eſt, vt Mirandulam, quo-
niam de ea quoque Cæſariani loquuntur, non
nomine ſolùm honeſtiore, ſed vetuſtiore etiam

animo

caufa, quàm Parmam à Rege tutandam oftendamus. Hanc enim non nunc primùm fibi adiunxit, quod aduerfarii de Parma criminãtur, fed à patre iure hæreditario delatam accepit, qui quoad vixit, nihil prætermifit, quod ad eam retinẽdam pertineret. Nam eo tempore quo conuentus Regum ad Nicæam de induciis habitus eft, cùm Paulus Pontifex de ea quoque controuerfia fumptus effet arbiter, Mirandulam Regi poffidendam adiudicauit: vt vel ipfe, vel alius quiuis ipfius nomine atque mandato teneret. Quam quidem arbitri fententiam comprobauerunt aduocati & cognitores non folùm Galeoti Pici, tum Comitis Mirandulani, fed etiam Ioannis Thomæ, cuius patrem Mirandulæ obtruncatum effe Cæfariani criminantur: ambo enim de illius oppidi iure contendebant. Hoc infuper additum eft, vt reiecta criminis accufatione, integra fui iuris perfecutio Ioanni Thomæ relinqueretur: in qua actione, à Francifco Rege iuris & æqui obferuantiffimo nunquam eft interpellatus. Ex contrario Cæfar, cuius funt primæ partes, vt fuum cuique tribuatur, præter omnem iuris fcripti rationem ab executione progreffus, armis deturbare illos de oppido contendit, qui nomine Regis poffident, nulla difquifitione prius facta, aut fententia pronuntiata: Quódque iniquius eft, vt litigatoribus omnem difceptandi de poffeffione facultatem in futurum adimat,

oppidum

oppidum ſibi vendicare conatur. Quemadmodum feciſſe legimus Romanum illum Quintum Fabium Labeonem, qui cùm arbiter Nolanis & Neapolitanis de finibus à Senatu datus eſſet, agrum controuerſum populo Romano adiudicauit. Atenim Mirandula imperii clientela eſt. An ſi ita eſſet, id obſtaret quo minus Rex Francorum oppidum beneficio imperii poſſideret? An etiá obſtaret quominus in fidẽ reciperet, quod de Tullo & Vertoduno in Lothoringia, aliiſque vrbibus non paucis, quas nihil neceſſe habeo hoc loco commemorare, factũ videmus? Conſtat enim illas iandiu in fide Francorum Regum eſſe, qui tamen ius imperii ſemper ſaluum eſſe voluerunt. Nunc itaque Cæſar perpetuò auguſtus, in conſeruãda imperii ditione tã religioſus, Cameracũ, Traiectũ, Friſiam imperio eripuit, vt ſibi ac ſuis priuatim aſcriberet: atq; vt Mirandulam occupet, omnes machinas adhibet, vt ius ſcilicet Imperii ſarctum tectum atque integrum permaneat. Quod vt facilius aſſequatur, Comiti Mirãdulano non fuiſſe cautum fœdere Crecẽſi, neque illum huic aſcriptum obiicit. Quid ſi nec fuit exceptus? Quanquam ea parte ſatis cautum eſſe contendere poſſum, qua vtriuſque principis amicis, ſociis & fœderatis proſpectum eſt: qua omnes vtrinque ſublatæ ſunt controuerſiæ. Iam verò quid eſt quòd res omnes, quarum poſſeſſio ab induciis Nicæis bello turbata fuerat, repeti

reddique sanctissimo fœdere cautum, nisi omnia in eum statum restitui, quo fuerāt, dum induciæ fierent? Ex quo efficitur, Regem posse iure optimo Mirandulam retinere, non solùm ex illis induciis, sed etiam ex fœdere Crecensi: quo ita confirmatæ videntur, vt induciæ, quæ ad tempus pactæ erant, vim fœderis perpetui habere cœperint. Præterea, quanuis hæc ratio, quæ tamen firmissima est, non tantopere vrgeret: quid habet Cæsar quod possit respondere, si subiiciam illum à pacto fœdere Crecensi, nunquam ad hanc diem de hoc oppido expostulasse? An nesciebat Regi mācipatū, Regis præsidio teneri? Ille tamen in perpetua Regis amicitia velle perstare simulabat. Vnde ergo tam subita animi mutatio? nisi quòd dum occasionem violādorum fœderum, turbandæq; pacis quærit, dum incredibili suæ ambitioni seruit, per causam Mirandulæ bellum inchoare instituerit: vt simulato iure Imperii, & nomine Pontificis vsurpato, Regi, eiúsque amicis ea eripiat, quæ iure cùm ex induciis, tum ex fœderibus retineri possunt. Age verò, quoniam principes & Imperii clientes qui rebellauerant, in societatem fœderis Crecēsis negant venisse: ac proinde exceptum videri Comitem Mirandulanum cōtumacem: non video cur tandē contumacem arguant, nisi fortè quòd Cæsari postulanti, oppidum dedere recusauit: veluti Parmam Octauius, quam sibi à Pontifice traditam cliētelæ nomine possidebat.

Quòd si confictis rebellionibus talibus, locus daretur, quæ tandem aut vrbs, aut prouincia intra Imperii fines salua esset, quam Cæsar eadē ratione non sibi assereret? Nā dum ille dominos, tametsi Imperii iudicio sese submitterent, contumaces pro arbitrio fingeret, omnia sui iuris faceret. Quapropter ea pars fœderis, quæ excipit cliētes Imperii cōtumaces, nō pertinet ad illos, quos Cæsar tales pro sua libidine appellauerit: nisi certissimis argumentis eos rebellasse doceat, & eosdem læsæ maiestatis reos, sententiis more maiorum pronuntiatis, esse constet. Quanquam si verba fœderis consideratius expendantur, proculdubio comperiemus rebellium appellatione illos duntaxat contineri, qui reuera Imperatori dictotum nō erant audientes: veluti Ducem Saxonum, Lantgrauium Hesorum, & Germanos alios qui Religionis causa & libertatis per manus à maioribus acceptæ ex composito contra Cæsarem coniurauerant. Quod eò magis probabile est, quòd paulò post id fœdus initum, illis Cæsar bellum intulit. Nihil porrò ad Comitem Mirandulanū pertinere, qui nihil ipse Cæsarem offenderat, nisi fortè quòd oppidū haberet Cæsari accommodatissimum. Cæterùm, quòd Cæsariani subiiciunt Comitem Galeotum, per insidias Patruum occidisse, ad Regis causam pertinere non arbitror. Tantùm dicam, nihilo plus fidei addendū huic accusationi, quàm Galeoti inficiationi.

Nam si facinus tam atrox intercesserat, quis credat mortui hæredes in induciis Nicæis cōsensisse, idque tabulis scriptum & cautū relinqui, vt vsitata iuris ratione de proprietate oppidi, & nō extra ordinem de crimine quereretur? Ex quo iudicari potest, non de cæde, sed de mortui fortunis disceptatum, præsertim cùm hæredes Cæsarem tam propitium iudicem haberent: cuius tamen sententiam nullam proferre possunt, ac nec decretum quidem: nisi fortè repentino quodam animi impetu factum haud dissimile illius, quo Octauius aduersus Pontificem contumax declaratus est: qui prius quàm in iudicio sistere, aut res suas amicè componere posset, bellum geri in suis finibus sensit. Quæ cùm ita sint, non queo satis mirari, quid Cæsarianos impulerit, vt Regi hoc etiam crimini darent, quòd Mirandulam & Parmam exulum receptacula esse velit: inter quos etiam Strosios Bétiuolos & Fregosios referre audent: omnes quidem illos veteribus atque illustribus familiis ortos: quibus hoc tantùm obiici potest, quòd Regis partes magis, quàm Cæsaris sequi statuerint: ne videlicet iugum seruitutis subirent, quod hic noster Italiæ pacificator, eorum ceruicibus imponere studebat: néue in illis locis viuerent, vbi patres, cognatos, & affines omnibus contumeliis vexatos, & per summum scelus trucidatos meminerant: propterea quòd cadentem patriæ libertatem erigere voluis-

ſent,& tyrãnidi naſcẽti ſtudia, vires, conatus oppoſuiſſent. Qui & ipſi liberi ſunt, & in ciuitatibus liberis viuerent, ſi per Cæſarem liceret. Quo miror magis Cæſarem tam perfricta fronte, Regem exulum receptatorem appellare: ídque illi vitio vertere, cùm ille nihil vnquam vel in Italia, vel vſquam alibi, terra, marique confecerit, niſi opera non dicam exulum, ſed proditorum inſignium: eorum qui à ſuis principibus deſciuerant: eorum qui contra illos, quibus educationem & honorum acceſſiones debebant, coniurauerant: eorum qui vrbes ſuæ fidei traditas, non expectata oppugnatione, ſponte hoſtibus dediderant: claſſes quibus præfecti erant, flagitioſè abduxerant, exercitus miſerè prodiderant: eorum denique qui veneno, non ferro, cuius maleficii palàm conuicti ſunt, dimicare didicerant: quos iura gentium in impiorum ac ſceleratorum numero habent: quos nemo aditu, nemo congreſſione, nemo ſermone dignos iudicaret: hos Cæſar amplexatus eſt, & ſummis honoribus auctos exercitibus præfecit. Quorum nomina proferrem, niſi per ſe ſatis noti eſſent: vererérque, ne in re quidem moleſta, ac certè non neceſſaria longior eſſem: aut retorquendis in Cæſarem criminibus Regem purgare, aut exaggerandis conuitiis veritatem obſcurare voluiſſe exiſtimarer. Sequitur illud quod ſecundum initio orationis mihi propoſui, vt Regis in

Cæſarem officia commemorem, & quemadmodum pacem omni ſtudio retinendam putauerit: ex contrario, quàm in illo ſuſpecta omnia inuenerit, vt neglectius, vt iniurioſius acceptus perſæpe fuerit. Cùm hæc docuero, tũ illud oſtendã, quod maximè requiri intelligo, Regẽ offenſiones omnes ſuas, publicæ quieti dimittere prius paratum, non potuiſſe nũc non armis diſceptare, vt illatam iniuriam à ſe ſuiſque arceret. Quæ ſi omnia dicendo conſequi potuero, efficiam profectò, vt omnes intelligant, non fuiſſe cauſam cur Cæſar Regis animum alienare aut exulcerare debuerit, quem cõſtaret nec vulgarem amicum, nec contemnendum fore inimicum.

Henricus Rex regnum adeptus, comperit illud cùm omni ex parte pacatum, tum auri argentíque in ærarium à patre redacti copia abundans, equitatum lõgè poſt hominum memoriam inſtructiſſimum, pedites veteranos, & longo armorum vſu ſtrenuos: ſic vt ſine auxiliaribus copiis (quanqum & ipſe ſatis multas militum exterorum cohortes alebat) iuſtum exercitum poſſet comparare, eúmque quocũque collibitum fuiſſet, ducere. Neque enim Cæſar, qui id temporis in Germania agebat, & non ſolùm curarũ mole, ſed & morborũ grauitate opprimebatur, formidandus erat: Rex verò Anglorum, multò minus, qui impubes regnũ paulò antè adeptus, ſub tutoribus ac procuratoribus agebat, qui magis de

tuendis, quàm proferendis finibus, quos à maioribus accepisset, laborabāt. Rex tamen tot & tantis belli gerendi cōmoditatibus non est vsus, quæ vel iuuenem gloriæ bellicæ cupidum facilè mouere & incendere poterant: sed memor eorū fœderum, quæ inter Franciscum parentem & Cæsarem intercesserant, considerans etiam factiones in Religione Christiana nuper ortas, quæ nisi cōsentiētibus inter se Christianorum principibus, sedari non poterāt: nihil potius habuit, quàm vt publici boni causa, Cæsarem primo quoq; tempore redderet de sua volūtate certiorem. Declarabat autē se fœderibus prioribus stare, tranquillitatem publicam cōseruare, nouis affinitatibus atq; aliis omnibus rationibus honestis hāc amicitiam & societatem confirmare, eàmque veluti hæreditariam & perpetuam ad liberos & posteros velle transmittere. Itaque primùm Andeloto vni ex cubiculariis primario: deinde Brissaco, supremi ordinis equiti, & tunc tormentorum bellicorum præfecto, mādata dedit ad Cæsarem. Hi cum Cæsare, eiúsq; ministris multa egerunt, sed præcipuę Brissacus de fœderibus, si quid in his esset in quo minus sibi satisfactum Cæsar quereretur. Obtulit præterea nouas nuptiarum affinitates, quas hîc non libet commemorare: quod Cæsar, tametsi rem sibi gratissimam fore simulabat, ad exitum perducere recusauerit. Interea tamen respondit, sibi in animo esse, pacem, quam cum

Rege haberet, sanctissimè colere: orare atq; obtestari Regem, ne quid secus de se existimaret, nihil neque nunc, neque imposterum rerum nouarum moliturum. Quod responsum visum est Regi boni consulere: tametsi perfacile erat iudicare, Cæsarem magis necessitate præsenti coactū, quàm beneuolētia adductum, tam amicè respondisse. Nam Cæsariani, quæ perpetua illoū cōsuetudo, veritatem obtegentes, multa comminiscebantur, eáque in vulgus proferebāt, Regem diffisum suis viribus, & tanti Imperatoris potētiam veritum, eius amicitiam magnopere expetere: ne videlicet Italiæ reguli (quos Placentia per summū scelus in cæde Petri Ludouici Ducis à Cæsare occupata mirificè sollicitos reddebat) ad liberandam Italiam, ditionésque suas tuēdas conspirarent, atque audientes à Cæsarianis Regem Cæsari obsequētem, ac propè supplicantem, animos prorsus demitterēt: præterea vt Germanici principes omnem in posterum spem recuperandæ libertatis abiicerēt, quam Cæsar recenti sua victoria nō mediocriter labefactauerat. Attamen Rex qui omnia in meliorem partem accipienda statuebat, promissis iis quæ Cæsar per oratorē suum ostendebat, quǽque Regis Legato sæpius repetebat adductus, aliquot peditū Germanorum præfectos, qui prius patri Regi, pòst sibi meruerant, dimisit, vt illi tanquam pacatissimis temporibus in ciuitates Imperii liberas, domúmque se reciperent.

perent. Ea re cognita, Cæsar vt ostenderet aliud lingua voluere, aliud animo concipere, & quàm parum fidei esset promissis superioribus addendum, illos omnibus vestigiis indagare curauit, & comprehensos causa vix cognita, morte mulctauit. In his fuit Sebastianus Volgepergius, qui in Francia iamdiu ordines duxerat, quem (vt animũ planè suum declararet) Augustam vsque, vbi celeberrimus électorum & principum Germaniæ conuentus tum agebatur, vinctum duci curauit, ac triduo pòst ex fœdissimo carcere ad crudele spectaculum eductum, maxima populi frequẽtia, æditiore loco ad id in foro parato, hominem iussit obtruncari, addito per carnificem innocentis hominis sanguine aspersum adhuc gladium eductũ habẽtem elogio, quo eũdem omnibus exitum Cæsar promittebat, quicunque ex Germanis stipendia Regis Francorũ mererent. Siquidẽ & ipse Volgepergius vsque ad extremum spiritum in eo perseuerauit, ac palàm testatum apud omnes reliquit, nullius facinoris sibi esse conscium, ac nec scire quidem, quamobrem in Cæsaris offensionem incurrisset: nisi fortè quòd decem cohortes peditum Germanorum initio huius principatus in Galliam duxerat: ex quo iudicari potest quãta fides Cæsari habẽda sit, quídue spei in eius amicitia ponere nos oporteat, qui nomen Regium & dignitatem nihil moratus, Regem Francum, parẽtem, & (vt fingebat) ami-

cum, à cuius maioribus se ortum gloriatur, & quibus præcipua fortunæ ornamenta & accessiones debet, hoc dedecore & ignominia appetere non erubuerit: præsertim præsentibus lectissimis totius Germaniæ principibus, voce carnificis abiectissimi in tam tristi crudelíq; spectaculo vsus. Viderint igitur cæteri principes fœliciter nati, quonam pacto Rex magnanimus atque inter Christianos præcipuus, id factum dissimulare potuerit, rémque adeò & existimationi aduersam & libertati Germanorum, quos maiores omni memoria coluerũt, & veteres amicos, cõsanguineos & perpetuos socios appellarũt: indignationémque, ex qua summa labes suæ dignitati aspergebatur, tã patienter tulerit. Nam cùm ea vox publicè dicta, publicè quoque reuocanda esset, si quidem Cæsar de iniuria satisfacere voluisset, nihil quicquam responsum Regis Legato expostulãti, nisi quòd iniussu Cæsaris tam temerè hic carnifex esset locutus: tametsi Legatus Regis vehementer instaret, vt tam fœda vox in publico dicta, in publico recãtaretur: oportere errorem, quem agnoscebant, eodem loco vbi admissus fuerat, deleri. Rex tamen quanquam atroci contumelia lacessitus, iracundiam suam dimittere publicæ tranquillitati maluit: eóque magis, quòd Cæsariani astutissimè simulabant, id factum, quod modò cõmemoraui, ægerrimè ferre: nec verò ea mente hunc dolorem præ se ferebant, vt in posterum

amicius cum Rege agerent, sed vt blandæ orationis specie Regem eluderent, & nec opinantem quamprimum eius adoriendi facultatem nanciscerentur, ad extremum opprimerent. Quam quidem cogitationem suam breui perfecissent, nisi huic malo celeriter fuisset occursum. Etenim cùm Rex post paulò fœdus paternum cum Heluetiis & Rhetis renouaret, nihil eorum à Cæsare prætermissum est, quæ cõficiendo huic negotio aduersari iudicaret. Nec tamen illius vel pollicita, vel preces, vel minæ, vel munera, quibus nonnullorum animos à Rege abalienare studebat, efficere potuerunt, quin Heluetii Rhetíque Regem veterem amicum Cæsari præferrent: quòd satis compertum haberent, illum commoda amicorum spectare: hunc niti, vt eos factionibus & partibus inficeret, quò minori negotio diuisos ad se traheret, ac leges pro arbitrio tandem imponeret. Nimirum hoc erat eius propositum, huc consilia illius spectabant, vt postea res ipsa apertè declarauit. Nam cùm Rhetos constaret, loca aspera & sterilia magna ex parte habitare, & ex Insubria frumentum ad illos & salem cæterúmque commeatum facilius, quàm aliunde propter propinquitatem importari, Ferdinandus Gonzaga illis omni sua præfectura interdixit, vt rerum necessariarũ inopia adducti, à Regis amicitia descíscerent. Quinetiam quosdam à se instructos & subornatos per illorũ pagos atque op-

pida dimisit, qui initis conciliabulis plebem in magistratus societatis Francicæ authores concitarent, & ad defectionem sollicitarent. Cuius rei propositos à se libellos postea agnouerunt: vnde seditiones multæ, ac factiones inter illos ortæ, quæ non antè sedari potuerunt, quàm rudiores à peritioribus, & inferiores à magistratibus edocti ad sanitatem redierunt. Sed ad reliqua pergamus. Cùm Rex audisset Scotorum Reginam viduam matrem eius pupillæ, ad quam regnum iure pertinet, nonnullorum eius gentis procerum factione penè oppressam, videlicet maiore iam eius regni parte factiosorum opera in potestatem hostium redacta, huic laboranti auxilia peditum atque equitum mittere decreuerat. In illas enim angustias fœminam compulerant, vt vndique cincta periculis, quanquam sit maximi animi summæque prudentiæ, haud tamen sine Regis ope, quam implorabat, vnquam se explicare potuisset. Eo tempore Cæsar classi Regiæ, quæ ad auxiliares copias ferēdas comparata erat, omnes aditus ad portus suos interclusit, causatus nihil tuti in his esse. Ita putabat Regem de suscepto consilio deduci posse: maximè propter difficultatem nauigandi, cùm illinc Anglos, hinc Cæsarem tam suspectum amicum haberet. Quod etiam ex his, quæ pòst acciderunt, magis intellectum est. Nam cùm bellum gereret cum Anglorum Rege pro recipienda Bononia, quæ su-

periore bello amissa fuerat, etsi Cæsar neutrũ eorum contra alterum iuuare deberet, atque ita se facturum legatis Regiis recepisset: tamen omnibus rebus ad bellum necessariis hostes iuuare voluit, multas peditum cohortes, equitum turmas ex superiore inferioréque Germania per suos agros ad Anglos liberè transire. Præterea suos Anglorum nomine in finibus regni latrocinari, nostros spoliare, excruciare & trucidare, nonnunquam etiam ad viginti milia passuum in Franciam excurrere, pecus abigere, atque hostilia plurima in Gallos exercere permisit: sicuti quæstionibus de ea re habitis euictum est, præcipuè ex suppliciis illorũ qui Hisdini cùm ob alia atrocia crimina, quorum conuicti sunt: tum quòd confiterẽtur se suburbia eius vrbis inflammare consensisse, laqueo publicè vitam finierunt. In quibus aliquot reperti sunt ex militibus, quos Cæsar in præsidiis Artesiorum & Annonum locauerat. Quod si quando palàm præco iussu Cæsaris prædicarit, nulli ex suis licere sub Anglis merere, id ex industria fiebat, partim vt videretur aliquid indulgere legatis Regis de eo sæpius apud se conquestis: partim vt Franci hoc publico edicto cõfisi, minus sibi cauerent, & nihil hostile metuentes, facilius ex occulto atque ex insidiis vel spoliarentur, vel interficerẽtur. Etenim Anglis tantum militum, quantum volebant, licitum erat in ipsius ditionibus colligere: nõ quòd illis ex ani-

mo bene vellet, ſed magis adeò vt diutius Regi reſiſterent, ac demum inter vtroſque bellũ longius protraheretur, & interim ſe otioſum ſpectatorem miſeriarum & calamitatum alienarũ præberet. Quod cùm Angli animaduerterent, vt hominem tam læto ſpectaculo priuarent, animum ad pacem appulerunt : ad quam propenſum Regem ſua ſponte inuenerunt : eòque magis, quòd is non bellabat, vt per vim aliena occuparet, ſed vt ſua quæ fuerãt erepta recuperaret. Pace cũ Anglis facta (quod accidit ſub initiũ anni M. D. L.) videbatur poteſtas Regi data auertendi Cæſaris à Germania, in quam neceſſe reuerti habebat: atque ita Cæſarem, à quo toties laceſſitus fuerat, vlciſcẽdi, & res eius, quæ tunc erant ſecundæ, penitus interturbandi. Habebat ad eam rem multa militum exercitatorum in armis milia, quæ bello Anglico fœliciter confecto, ſimul collecta in finibus Picardorum & Arteſiorũ ſub ſignis agebant. Verùm tantùm abeſt, ne Rex armis iniurias perſequi voluerit, aut occaſionẽ oblatam captare, aut commoditate ad bellum gerendum præſentiſſima vti, vt mercenarios externos dimiſerit, veteranorum cohortes imminuerit, conſilia cum Cæſare communicauerit: atque omnia quæ ad tranquillitatem reip. Chriſtianæ retinendam pertinebant, tẽtarit atque procurarit. Itaque non cõtentus Legato ordinario, quem apud Cæſarem habebat: alterum quoque ad Reginam Hunga-

riæ Cæſaris ſororem miſit, priuatorum expoſtulationes audiuit, iudices pluribus in locis conſtituit, qui de controuerſiis ex nauigatione ortis, ſumma celeritate cognoſcerent. Præterea mandauit aliquot equitibus ac peditibus, vt Lincantii arcem munitiſſimam, & inferendo Cæſarianis damno admodum opportunam, quæ abhinc duodecim annos ad Arduennam ſiluam exædificata erat, caperent atque euerterent. Cauſa eius euertendæ fuit, quòd hi qui præſidio locum tenebant, mercatores magnis incommodis afficiebant, ſed maximè eos, qui ex Cæſaris ditione in Germaniam contendebant. Quam quidem arcem Cæſar ipſe paulò antè centum millibus nummûm aureorum perlibenter redemiſſet, propterea quòd omnem illam vicinitatē latrociniis & excurſionibus infeſtā reddi animaduerterat. Ad hæc cōſtituit de finibus arbitros, qui lites & controuerſias propter confinia excitatas componerent. Poſtremò, omnia quàm diligentiſſimè curauit, quæ ad ſecuritatem ſubiectorum vtrique populorū pertinebant, vt cōmerciis locus eſſet, & vltrò citròque liberè poſſent cōmeare, remotis omnibus obſtaculis, quæ hanc Chriſtiani orbis quietem vel interpellare, vel labefactare poterant, quam omnibus modis Rex confirmare ac ſtabilire maximopere cupiebat. Sed Cæſar vel quòd Regi, quem toties offenderat, diffideret: aut quòd eum (vt ſæpe declarauerat) odiſ-

ſet:aut quòd elatus cupiditate amplificandæ potentiæ ſemper ex aliena imminutione creſcere cuperet,nondum vertente anno,qui fuit M. D. L I. ſed potiſſimùm appetente vere, omnia continuò mutauit. Nam Regina ſoror res omnes ad bellum neceſſarias palàm comparare,perinde ac ſi hoſtes in armis videret, equos & carros ad comportandum cómeatum,& vehenda tormenta bellica edicto cogere, oppida finibus noſtris viciniora, maioribus præſidiis firmare, delectus equitum & peditũ in Gueldria, aliiſque locis habere,claſſem in Oceano ſatis magnam inſtruere, eámque ad oram Bononienſem dimittere: poſtremò eorum nihil omittere,quæ bello iamiam aperto fieri ſolent. Cúmque rogaretur quidnam moliretur, aut quid ſibi vellet hic tantus apparatus,id ſolum reſpondebat,hæc omnia à ſe prouiſa & deliberata, ne quid nouaretur: tametſi quæ conſecuta ſunt, facilè declararunt res verbis minimè conſenſiſſe. Nam tota illa claſſis ad fretum Caletanum ſubſtitit, expectatura dum Sanctandreas Mareſchallus illac tranſiret, quem audiuerant in Angliam propediem nauigaturum,vt inſignia ordinis cochleati ad Regem Anglorũ ferret,qui in id collegium cooptabatur. Etenim ne eo loci proficiſceretur, & Reges mutuam amicitiam,recipiendis vltrò citróque ordinum vtriuſque gentis inſignibus,confirmarent, decretũ erat impedire. Quod vbi Sanctandreas animaduertit, & quem-

& quemadmodum mercatores illac nauigantes Cæsariani iniuriosius tractaret, alios perscrutantes (vt dubiis temporibus fieri assolet) alios expilantes: his modò anchoras & antennas, illis vina, panes biscoctos, & reliquum commeatum nauticum, cuius indigebant, eripientes: denique neminem sine aliquo illato damno præterire sinentes, ne in id periculum ac discrimen proximum veniret (quippe non aliam ob causam, quàm vt suum aduentũ præstolarentur, illic substitisse videbantur) statuit aliquot Flandrorum naues, quæ Dieppæ in salo stabant, duos aut tres dies ad summum retinere, tantisper dum in Angliam aliâ perueniret, quàm quâ sibi erãt insidiæ paratæ. Quam ad rem tanta moderatio adhibita est, vt nec nauarchi, nec nautæ, aut vectores vllam iniuriam aut detrimentum acceperint.

Quinetiam statim vt auditum est Sanctandream ad littus Angliæ appulsum, hæ naues inoffensæ ac liberæ dimissæ sunt. Sed Regina, quæ ad bellum omni studio incumbebat, priusquam huius facti consilium intelligeret, aut nihil tale fieri in reliqua ora maritima Franciæ rescire potuisset, pro tribus nauiculis, quæ duos aut tres dies ad summum retentæ fuerant, in omnes omnium Francorũ naues, quas in Germania inferiore nancisci potuit, manum iniecit, vela & reliquum apparatum nauticum detraxit, merces in terram exponere iussit, nautas & vectores (quorum magnus

erat numerus) expēsis exhausit. Nec aliud crebris eorum postulatis responsum, nisi quòd par pari redderet, suorum naues in Francia prius retentas, quas tamen dimissas iam constabat: neque id in omni ora Franciæ factum esse, sed tantummodo Dieppæ, ídque iustissimâ ob causam: cùm ex cōtrario vbique, & sine causa in omnes promiscuè id exemplum acerbum atque intolerandum statuisset. Quinetiā parem animaduersionis seueritatem aduersus illos qui Antuerpiæ negotiabantur, adhibuit: quanquā nihil cōmune cum maritimis haberent. Enimuerò non solùm merces, quas in carris pro consuetudine eius regionis vehebant, retinuit, sed etiam cætera Francorum bona vbique conquiri & notari iussit: proinde, quasi nihil superesset, nisi de miserorum fortunis impunè prædari. Eodem tempore quinque iuuenes Franci & literati, honesto inter suos loco nati, peragrata Germania superiore: vt qui ad diuersas gentes adire, & mores ritúsque hominum varios cognoscere cupiebant, iter in Franciam per Germaniam inferiorem habentes, comprehēsi sunt, & in custodiam Hayæ Hollandorū traditi, exinde Bruxellas veluti rei nocētes ducti. Cúmque illos indignius habitos legatus Regius quereretur, ídq; contra fœdera & fidē publicam factum expostularet, parum tamen profecit: sed nec cur comprehensi fuissent, intelligere potuit. Tātùm summus Reginæ cōsiliarius pronuntiauit iustam ob cau-

ſam,quã tamen inexplicatam reliquit,cõprehenſos fuiſſe:hoc addito,vt quanta maxima poſſent celeritate ex illis finibus excederẽt,nec à via præſcripta deflecterent. Scilicet ita conſueuerũt iniurias,quas aliis nulla de cauſa inferunt,prætexere,ſententias nullis actis antecedẽtibus dicere: & illis viã, qui ad ſe velut ad pacatos amicos venerant,præſcribere: eóque magis mirandum,quòd ab Auguſta quales eſſent, & qua via ad ſuos reuerterẽtur, ſcire poterãt ex literis Epiſcopi Atrebatẽſis, qui eſt in intimis Cæſaris familiaribus, quocum Legatus Regius de his ſermonẽ fecerat. Eodẽ tẽpore comes Reuxius (quẽ omnes de nomine ſatis nouerũt,& ex eo maximè,quòd nũquam niſi cùm Francos inſigni aliquo malo afficit, quidquam,quod operæpretiũ ſit, ſe facere arbitratur) Villebonum Theroennæ Morinorũ præfectum commeatu,quem ex propinquioribus locis,atq; ex ciuiũ reditibus in vrbẽ ſubuehebat, intercludere conatus eſt. Nam & carros quoſdam onuſtos frumẽto intercepit, & erat grauiora facturus,niſi eius conatibus maturrimè fuiſſet occurſum. Omitto inſolentiam hominum atque faſtidium: omitto minas & terrores,quos noſtris proponebant. Quæ cùm aliena nõ eſſent ab eo apparatu, quem modò commemoraui,& Rex animaduerteret,multa diuerſis in locis aduerſus ſuos hoſtiliter fieri,ſibi tandẽ conſideratius proſpiciendum duxit. Itaque poſtquam animaduertit, nec mer-

catorũ naues reſtitui, nec damna ſuorũ reſarciri, nihil concedi his, quæ primarii ſui miniſtri à Legato Cæſaris poſtulabant, à Regina Hungariæ preces, quas legatus Regius proponebat, nõ audiri: quin potius vana tergiuerſatione illudi, ne inermis & incautus opprimeretur, aliquot naues in Oceano ad omnem euentum expediri, & claſſem in mari interno parari mãdauit, quò ſubitas hoſtium incurſiones remoraretur, & res prius per ſummam iniquitatem ereptas, ſi nõ reſtituerentur, armis repeteret. Tandem cùm allatum eſſet Parmam in Italia obſideri, & à Ferdinando Gonzaga bellũ ad Mirandulam apertè ac palàm geri, & poſt aſſiduas diuturnáſque expoſtulationes ex nauibus ac fortunis ſuorum, ferè dimidio minus in Flandria redditum, non depenſam ſumptuum æſtimationẽ, non habitã rationem, quanti plurimi illorum interfuerat merces non fuiſſe retentas, quod dimidio pluris conſtabat: nullam denique pacis expectationem relinqui: vtrique claſſi liberius agere permiſit, veteranis etiam militibus qui in præſidiis Pedemontanis collocati erant, mãdauit, ne ſe à Cæſarianis circunueniri paterentur: quin & virtutis priſtinæ & fidei datæ memores, eius dignitatẽ, exiſtimationémq; ab inimicis defenderent, & vt orto à Cæſare bello, recentes iniurias propulſarent & vlciſcerentur. Dimiſit humaniter Legatũ Cæſaris, expoſita prius, cur ad arma res deducta eſſet, ratione: vt videlicet ſe,

suósq; socios & amicos tueretur. Suos insuper legatos reuocauit, qui in comitatu Cæsaris & Reginæ sororis agebant, nimirũ eorũ legatione bello aperto finita. Verumenimuero Regina illum, qui apud se agebat, retinuit, & apud veterem nescio quã arcem in custodiã tradidit, vbi dies amplius viginti cõmoratus est: rem prorsus indignã quæ à Regina Regio legato fieret. Nã tametsi Cæsaris orator humanissimè dimissus erat, ac iam in inferiorem Germaniam peruenerat, Regius tamen in eo quem dixi loco retinebatur, vt orbi terrarũ testatius fieret, non solùm Cæsarem contra fidem, contra dignitatem, contra fœdera bellum inchoasse, sed etiam eius sororẽ, legatos qui semper sancti fuerunt & incolumes, vel inter hostium tela versari potuerunt, contra ius gentium violasse. Quam quidẽ indignitatem verbis pluribus exaggerarem, nisi id Cæsari vsitatum viderem. Nam si his, qui legatos nostros ex insidiis aliquando crudelissimè trucidauerunt, impunitatem dedit: quid sperandum in causa illorum qui in carcerem tantummodo missi essent? Quibus hoc solùm, quòd liberati sunt, magnum beneficium fuisse datum videtur, nulla insuper satisfactione oblata: exemplo latronum, qui cùm viatores expilant, sibi vidẽtur vitam, cùm in eorum manu posita esset, illis dedisse, quibus non ademerunt. Quanquam verò Cæsar hanc prauæ voluntatis significationem, & cætera suæ iniqui-

tatis documēta sæpius edidit: tamen miror Cæsarianos vafrè & malitiosè (vt solēt multa comminisci) suadere Germanis, & reliquis Christianis, Regi nō licere sanctissima illa Cæsaris cogitata ad cōponendas Religionis controuersias, & ad propulsandos à Christianorū finibus Turcas spectantia interturbare. Quæ fortassis rudioribus persuadere possunt, metientibus Cæsaris animū ex tot sanctimoniæ titulis, quos ambitiosè architectantur: cùm illum modò defensorem Ecclesiæ, modò libertatis parentem, modò iustitiæ & æquitatis patronum obseruantissimū appellāt: dúmque omnia eorum scripta, omnes conuentus, omnia loca, ad quæ adeunt, huiuscemodi vocibus personant: his enim quasi velis obtegere interiora animi vitia conātur. Verùm (gratia superis) lux tandem veritatis hanc imposturarū caliginē dispulit, & fictam personam, quam induerat, vt omnibus illuderet, detraxit. Nā quæ antehac in Cæsare Religio putabatur, nūc habetur pietatis simulatio, qua etiam hominibus imponere conatur, dum existimat illos insidiosissima ministrorum suorum oratione, & simulatione grauissimæ personæ, quam ad hanc diem callidissimè sustinuit, captos perpetuis tenebris versari. At compertum habemus, eos piorum numero non esse habendos qui præloquuntur, sed qui faciunt: nec qui simulant, sed qui bene beatéque viuendo sanctitatem, quam præ se ferunt, actionibus exprimunt

& declarant. Vidimus Cæsarem bellum in Germania graue & luctuosum excitasse, eo nomine, (quemadmodum ipse prædicabat) vt Protestantes, qui à Pontifice iura non acciperent, in potestatem Ecclesiæ Romanæ redigeret. Quapropter à Paulo tertio Pontifice magna peditum atque equitum auxilia impetrauerat. Postquam verò optata consecutus, nihil amplius à Pontifice expectare habuit, confestim edicto promulgato declarauit, se bellum in Germania non suscepisse Religionis ergô, sed vt quos dicto nō esse audiētes increpabat, armis castigaret. Etenim re vera Germanis, qui secum militabāt, concessit, vt more suo viuerent, lingua patria psalmos Dauidicos canerent, eiusdem dogmatis concionatores audirent, & alia quamplurima, quæ ab Ecclesiæ Romanæ ritibus sunt prorsus aliena. Præterea, dum numerosissimū illum exercitum ad horum contumacium oppida duceret, si quādo de deditione agerent, de mutāda Religione verbum nullum. Quæ res maximam mouit admirationē Episcopis & Cardinalibus Germanis, qui in eo exercitu erant, quíque arbitrabantur, hoc bellum à Cæsare susceptum, vt cæteros in potestatem Ecclesiæ reuocaret, cùm re ipsa demum subodorarentur id fuisse propositum Cæsari, vt corporibus, non animis imperaret. Quod & ille aliàs sæpe significauit, sed tum maximè, cùm Argentinæ, Vlmæ, Augustæ, & reliquarum Imperii ciuitatum lega-

ti de recóciliatione agerent. Tantùm enim abest, ne quicquam de eorum institutis immutari postularet, vt diserte in pactionibus additum sit, nihil in Religione nouatú iri. Itaque Cæsar Augustam profectus, Protestantes suis vti moribus voluit, cócionatores reliquit, præsertim in victoria recenti, & tum, cùm oportebat re declarare in quem exitum tãtum bellum suscepisset. Quo facto adeò est offensus sacerdos arcanorum Cæsaris conscius, vt illi petenti veniam negauerit, atq; alius à quo expiaretur, quærendus fuerit. Quanquam vt Ecclesiasticis aliqua ex parte satisfaceret, & ne penitus afflictos & demissos videret, statuit in quibusdam templis sacra missarum Romano more peragi. Hoc verò non erat aliud, quàm animos hominum magis ac magis indies partibus inficere, quàm seditiosam in populo & luctuosam vitam perpetuò alere. Nam si multitudo inter se diffidẽs eorundem mœnium complexu ægrè potest sine tumultu diutius coerceri & cótineri, quantò magis id expectandum est, cùm in Religione omnes vna mente ciues non cósentiunt? Nulla est enim dissensio maior, nulla diiudicatio acrior, quàm Religionis, in qua pars alterutra spem vitæ beatæ & immortalis collocat. Quod Cæsar cùm astutè præuideret, atque hãc viam alendæ seditionis inter Germanos perpetuæ videret suis rationibus accómodatiorem, (facilius enim erat discordes, quàm cócordes domare)

mare) consiliũ iniit de proponẽdo nouo dogmate, quod Principes atque Electores Imperii vt legem à victore acceperũt. Hæc verò doctrina constat partim ex Protestantium decretis, partim ex veteribus atque vsitatis Ecclesiæ institutis. Quam interim statuit obseruari, dum cõuocato omniũ Christianorum concilio, de his controuersiis decideretur: ac propterea doctrina Interiana est appellata: vnde tres in Germania sectæ esse cœperunt, Catholicorum, Protestantium, & Interianorum: ex quibus quarta occultè conflabatur eorum, quos ἀθέους rectè nominare possumus. Siquidẽ rudis & ignara plebecula, cùm videt Religionem variis opinionum procellis ac fluctibus æstuantem, & præcipua doctrinæ Christianæ capita hinc probari, illinc improbari, primùm in summa rerũ hæsitare, mox omnẽ Religionem, vt hominum commentum exuere cogitat. Ita hic præclarus Religionis amplificator Cæsar, dũ Germanos ad Ecclesiam Romanam reuocare conaretur, doctrinã proposuit: quæ cùm damnata est Romæ, & in omnibus prouinciis, quæ Pontifici Romano obtemperant, tum à Protestantibus mirandum in modum improbata. Libenter igitur à Cæsarianis quærerem, qua demũ authoritate id fecerit. An cõsensum & suffragationem Põtificis proferent? At hic maximus natu filius, in eo parentis sui authoritatem minuit. Cui bono id Germanis fuisse dicẽt? At semper de omni-

bus his controuerſiis ad concilium referendum putauerũt. Præſtat ſcilicet, vt credamus illum arbitrum inter has duas ſectas à Deo Opti. Max. datum; & tanquam angelum ad nos è cælo demiſſum, habere poteſtatem noui dogmatis inſtituendi, quod aduerſetur priſcorum patrum conciliis, quorum hic, non Pontifex, ſit moderator. An potius, quod veriſimilius eſt, id ſecum commentatus eſt, vt magis ac magis hominum animos peruerteret, & vehementius indies Germaniam turbaret? Hæc nimirum ſpectãt, vt Catholici quod imperatum erit faciãt, dum horum partes ſe fouere ſimulat: & à Proteſtãtibus impetret quodcunque voluerit, dum illos ſinat ſuo more viuere: nouóſq; ſuos Interianos vt rectius ſentiẽtes nunc Catholicis opponat, nũc in Proteſtãtes armet & acuat: atque ita omnes mutuis inter ſe odiis excitati, nihil ſibi negare conſueſcant: & demum exhauſtis vtriſque & exanguibus, dominatiomen in Germania, & tyrannidem ſibi optatam, aliis deteſtãdam conſtituat. Quorſum enim pertinet huius Interinariæ doctrinæ propagatio, ſeges ac materia omnium diſcordiarum? Quorſum illa acerbiſſima pecuniarũ exactio, qua erga Catholicos vſus eſt, qui licet ſuperioris belli Germanici onera ſuſtinuerint, illis tamen propè duriorẽ nũc ſe præbet, quàm antehac præbuit Proteſtãtibus, cùm de recõciliatione agerẽt? Cur tãtam multitudinẽ tormentorũ bellicorũ à Germania

aliò abduxit, nisi vt vrbes viribus inferiores essent, minúsq; de libertate retinēda cogitarent? Cur in superioribus comitiis ab ordinibus Imperii tātam pecuniā exegit, qua bellū iis, quos ipse suo arbitratu & sua voluntate cōtumaces finxerat, inferret? Cur porrò adducti sunt, vt imperata facerent hi, quod verebātur, ne in eius offensionem incurrerent, illi ne iniuriam acciperēt, alii vt molestiā & calamitatē redimerēt? Cur denique omnes cupiditati sui Imperatoris suppeditarūt, quem toto animo incumbere ad euertendam suam libertatem videbant? An non satis intellexerunt, quàm raptim atque turbatè de illorum rebellione cognouerit, statuerit, iudicarit? vt publica pecunia, quæ ad nouos & subitos casus communium temporum, indicta, coacta, & reposita asseruabatur, in vnius vrbis, id est Madeburgi obsidionem impensa sit: propterea quòd Madeburgēses non acciperent conditiones ab illo latas, nec (inopia fortassis impediti) pecuniam imperatam conferrent? Quippe qui sæpius testificati fuissent, se omnibus in rebus Cæsaris dicto audientes fore, excepta sola Religionis causa, de qua ad proximū cōcilium referebant. Et tamen visum est Cæsari, vires Imperii in illos potius conuertere, qui nihil offenderant, & ex quibus parū, aut nihil omnino boni ad rem communem Imperii redibat, quàm suppetias Regi Romanorū ferre: cuius fines Turcæ assiduis & quotidianis excursionibus inuadunt,

multos mortales cum pecore atq; alia præda capiunt, ædificia incendunt, agros populantur, omnia cruore & luctu hostiliter miscent: atque ita sibi in Germaniam viam muniũt, in quam penetrare quandocunque libitum fuerit, facilius possint. Interea clementissimus Cæsar, qui consilia omnia sua ad salutem Germaniæ spectare prædicat, omnes neruos ingenii & industriæ in eo intendit, vt Germanos à Francis alienet. Sic enim statuit fore, vt illi inter se dissidẽtes, exhausti pecuniis, tormentis bellicis spoliati, amicis orbati, facilius ab Hispanis vexentur, excruciẽtur, expilentur: nec quisquam inueniatur, qui reclamare, aut omnino hiscere audeat: tametsi patriam miserè conculcari, eiúsque libertatem fœdè proteri videat. Postremò, vt omni spe meliore præcisa, sinant Imperium trãsferri à Germanis ad Hispanos, quos præ cæteris omnibus gentibus plurimùm ipsorum merito diligunt. Atque vbi Turcæ id, quod in Transiluania & Hungaria moliuntur, confecerint, videlicet vt illinc Regem Romanorum depellant, & Cæsar illi eripuerit Imperium, vt in filium trãsferat, Germania demum & Turcarum prædæ, & Hispanorũ libidini exponatur. Cur enim Regina Hũgariæ his postremis comitiis Augustanis vltrò citróque à Germania inferiore in superiorem toties commeabat, nisi vt facilitate Regis Romanorum fratris sui abuteretur, & suis precibus illum induceret, vt de-

 signatus

ſignatus Imperii ſucceſſor, propè parta imperii dignitate Cæſaris filio cederet? Cur Regem Bohemiæ Cæſar ab vltima vſque Hiſpania, ad ſe acceſiuit, niſi vt in id conſentiret, quod pater eo abſente & inuito admittere recuſabat? Quidnam aliud cauſæ fuit, cur Regi Bohemiæ Cæſar adeò infenſus, vt vix æquis oculis patruus idem & ſocer nepotem & generum aſpiceret, niſi quòd eam rem gratam non habuit, nec ſperato bono ſe penitus priuari paſſus eſt? Cur Electores Imperii, exceptis duobus Eccleſiaſticis, ad illa comitia vocati non venerunt, niſi quòd Cæſarem ſuſpicabantur, hanc Imperii tranſlationem meditari, quam negare abſentes, quàm præſentes propter magnam in illum obſeruantiam malebant? Denique, cur adeò Cæſar inſtitit, vt concilium cogeretur, niſi vt id, quod à Germanis non potuerat, à Pontifice obtineret: qui ſuffragantibus Epiſcopis Hiſpanis, quorũ Tridẽti magnus eſt numerus, bullam aureã immutaret, & eligendi Imperatoris nouum præſcriptũ daret, vt pro vno Imperatore, & vno Imperii conſorte, duo Imperatores deligerentur? Nam ſi Cæſar in cõuocando concilio id ſolùm ſpectabat, vt cõtrouerſiæ Religionis componerentur, & rerum Eccleſiaſticarum eſſet patronus tam diligens, quàm vult videri, profectò non alieniſſimo tempore ad arma veniſſet, & tum, cùm minimè omnium Reip. Chriſtianæ conducebat: Neque tam leui ex cauſa ſibi cum

Rege belládum duxisset, qui vim nunquam, sed pacem semper quæsiuit: & nihil minus voluit, quàm armis de iure publico disceptare. Sed Cæsar, vt se culpa liberet, rem omnē in nomen Pontificis refert, cui iubenti auxilium miserit: id verò non est aliud, nisi palàm profiteri & prædicare: Equidē cupio cōcilium conuocari, vt dū illic de Religione disputabitur, interim idquod molior de Imperio, obtinere possim. Maximopere Parmā expeto, vt Placētia recepta tutius potiri, & tyrānidem in Italia institutā stabilire liceat, atque confirmare. Priusquam Franci meas cogitationes labefactent aut conuellant, volo turbare Christianos, armare in Francos Pōtificem, meas cū illo copias iūgere, potētiam Regis imminuere, qui mihi solus obsistere, meósque conatus cohibere potest: quorū hæc est summa, vt me Europæ Imperatorem dominúmque constituam: vt familiam meam efferam & illustrem: ac deinde hoc tātum Imperium tam fœliciter partum, posteris meis hæreditariū relinquam. Sed quia fortassis vires meæ debiliores sunt, prætexā Religionem: procurabo concilium transferendi Imperii causa: testificabor me obsequentem Pontifici, vt ipsius ope adiutus, minore negotio Frācos debellem: pòst illum solum adoriar, qui non impediet quominus iterum Romā capiam, expilē, diripiā: quin cū in custodiā includā, possessiones eius ac ditiones vsurpē, quòd sacerdotes deceat diuina,

& non humana curare. Id verò perficere admodum difficile non erit, cùm iam Italiæ maiorem partem mihi adiunxerim: illinc Neapolitanum ac Siculum regnum, illinc dimidiam Longobardiam obtinens: quanuis ea conditione ac lege vtrunque regnum possidendum acceperim, vt in Longobardia fines non proferrem, sed intra illos me continerem, qui essent ante occupatam Placentiam præscripti. Dux Florentiæ meas partes sequi vel amore, vel metu cogetur, ad continendum Pótificem longè efficacissimus. Arx Senensis multum promota est, qua tanquam vallo possessiones Ecclesiasticæ intersepietur. Quinetiam præter ducatum Meliolanésem, quem ego Francis eripui, quanuis beneficio Maximiliani Cæsaris aui mei, & iure hæreditario ad illos pertineat, Genua & Luca nutus meos obseruant: meis præsidiis multæ vrbes Pedemontanæ tenentur, quas duci Sabaudo, cùm libitum erit, restituam, vel alias earum loco dabo. Ac ne Franci quicquam illic negotii facessant, fortassis retinebo, quod de Nicæa aliquando tentaui. Ita vniuersam Italiam pacatam continebo, debilitatis cæteris principibus, modò Regem coërcere & domare primùm possim: illum ego Pontificiis decretis aduersari incusabo, dũ contumaces istos tuetur: iura etiam Imperii dicam imminuere, quòd in fidem, Comitem Mirandulanum acceperit, qui idcirco proditor est, quòd oppidum mihi sane quàm accom-

modatum dedere noluit. Præterea, Regem partem Pedemontanæ regionis per summam iniuriam occupare contendam: quanquam iuris ac ditionis comitum Prouinciæ semper fuit, eóque nomine ad illum pertineat. Atq;, ne color desit, concilii iudicio cōdemnandum curabo, vt posthac executione eius sententiæ mihi mandata, per causam concilii arma Regi inferre possim. Postremò, dicam Regis accitu Turcarum gentem, nuper in Christianos impressionē fecisse: quanuis ego ipsos in Occidentē euocarim duabus à Drogutio ablatis vrbibus, Africa & Monasterio: & tamen omnem horum malorum culpā in Regem vnum transferam. Quin omnium dissidiorum, quæ in Germania nata sunt, & nascentur, authorem esse cōtendam: licet ego illa suscitarim, incenderim, aluerim, ac crescendi materiam subministrauerim, vt illis postea ad amplificandam meā potentiam abuterer. Habes (lector candide) causas quæ Regem à Cæsare tantoperè alienarūt, sic vt ægerrimè videātur in gratiā redituri, quòd alter ambitioni & incredibili dominandi cupiditati nunquam modum statuet: alter sibi non ferendum putat, vt hostis læsa sua existimatione, euersis amicis & sociis, fœderibus violatis, crescat. Quamobrem, nemini mirum debet videri, si Cæsar neglecto Ferdinando fratre, cui iure naturæ, & societate Imperii suppetias ferre debet, Turcas in Christianorum fines lōgius indies excurrere

currere

currere finit, cùm id vnũ sit illi maximè propositum, vt Regem euertat, qui solus potest suas cogitationes labefactare, conatus comprimere, eò tantùm spectantes, vt dominatum & tyrãnidem in Christianos omnes exerceat. Quapropter, vt tandem aliquando finem dicendi faciam, si Rex arma cæpit, expediendæ suæ salutis causa cæpit: & vt bellum cum Cæsare gereret, quod sibi non solùm honestum esset, quoniam in eo fortunæ sociorum & amicorum, qui ad se confugerunt, quique nihil Cæsarem offenderunt, aguntur: sed etiam necessarium, cùm pro aris & focis, nedum pro gloria sibi certandum videt. Si Rex Parmæ propugnationẽ suscepit, eo animo suscepit (quẽadmodum toties declarauit) ne ab Ecclesia Romana auferretur: quod factum de Placẽtia nuper vidimus. Si Mirandulæ obsidio Regem malè habet, iure id quidẽ, quòd ad se ex induciis Nicæis, quæ sequentibus fœderibus cõfirmatæ sunt, pertineat. Non enim id oppidum sibi asserere Cæsar potest, nisi forsitan idẽ iuris statuat in Comitem Mirandulanũ, quo illum in cæteros vti videmus, qui sua prodigere, atque ex arbitrio eius perdere nolunt. Si naues Flandrorum aliquot in Oceano interceptæ sunt, Cæsar fuit in causa, qui bellùm prius intulit, quàm indixit: & Regis milites qui per fines Mediolanẽsium sine maleficio, atq; adeò sine vllo metu transibant, trucidari: qui Mirandulam circumuallari, Cõcordiam expilari, at-

h.v.

que incendi iussit: tametsi Rex prius significasset, sibi esse in animo non minore cura Mirandulam seruare, quàm reliquas patriæ auitæq; hæreditatis vrbes. Denique, nihil prius à Rege nouatũ, quàm suorũ naues atq; merces in Germania inferiore retẽtas audiuit, quámque alia facinora bello aperto trita & vsitata patrari cognouit. Si Andreas Auria, bis haud ita lõgo interuallo ad oram Ligusticam fugatus est, id ipsius vecordia accidit, &, quod verebatur, ne si cum classe Marsiliensi sibi decertandum esset, tandem restituere cogeretur triremes, quas aliquando contra fidem & sacramentum militiæ, à Francisco Rege abduxerat. Si Chieriũ & fanũ Damiani cum aliquot aliis arcibus & castellis apud Pedemõtanos Brissacus cæpit, Ferdinãdus Gonzaga de se queri debet, qui prius Parmã & Mirãdulam, quas nondum potuit expugnare, oppugnauerit: non Brissacum accusare, quem cùm sciret & prælio strenuum & bonum cõsilio, ad id faciendum incendere non debuit. Si classis Turcica æstate superiore ad Christianorũ fines appulit, id euenit ex eo, quòd Turcarum Imperator fidem à Cæsare violatam diceret: vt facilè iudicari potest cùm ex his quæ gesta sunt, tum ex ipsius classis reditu: nomen certè Regis Franci nunquam interuenit. Si Regi Romanorũ res in Transiluania non ex sententia succedunt, si multa præter meritũ illic patitur, omnis culpa est in Cæsarem fratrẽ reiicien-

da, qui amicos hoſtibus opponit, quos in periculis deſerat. Denique, quòd Turcam tantũ hoſtem, támque formidoloſum vtrique Pannoniæ incubare videmus, Cæſar ſolus eſt in cauſa, qui Chriſtianorum concordiam & pacem ſemper interturbauit: nec putauit nimiam ſuam cupiditatem atq; ambitionem, niſi ruina omniũ expleri poſſe. Quapropter, cùm Rex vires ſuas non ignoraret, cùm recordaretur quibus maioribus ſit ortus, & ſecũ animo reputaret gloriam, quã ab illis cùm magnã in rebus omnibus, tũ ſummã in re militaria accepit: locum quem in republ. Chriſtiana obtineret, cognomentũ quo auctus eſſet, nec ſolùm præſenti laudi, ſed memoriæ poſteritatis ſeruiendum duceret, totus & mẽte & animo in bellum inſiſtere coactus eſt: vt ſe ab eo hoſte defenderet, qui exiſtimat omnia ſibi licere quæ poteſt, & poſſe quæ animo concipit. Qui reliquos principes præ ſe contemnit, offendit omnes, nullum diligit. Qui omnibus modis conatur alienare à Rege Germanos veteres amicos, cõſanguineos & perpetuos ſocios: vt poſtquam illos ab amicitia & ſocietate eius abduxerit, qui nihil ſpectat præter illorum decus & commoda, pòſt minore negotio Germaniæ libertatem labefactet. Qui ſub ſpecie Religionis & iuſtitiæ omnibus egregiè impoſuit, vt omnes ſuæ cupiditati obſequẽtiores haberet. Qui inimicitias inter principes ſerit & nectit, vt diuiſos adortus facilius opprimat. Qui

ad defectioné sollicitat clientes & ministros amicorum,& contra illos coniurare inducit, quibus sacramento obligabantur. Qui turbat pacem publicam, violat fœdera, amicorum dignitatem infringit, omnem honestaté proterit atque conculcat. Qui queritur Turcas sibi bellum inferre,& is infert Christianis. Qui Regem societatis Turcicæ insimulat, quam ipse stipendio depenso redimit: ac póst, cùm é re sua videtur, dirimit. Postremò, cui omnes libertatis retinédæ cupidi, & tranquillitatis publicæ amantes, arma inferre debent, vt nimiam eius ambitionem coerceát atque refrænét. Sed Rex multo iustius, qui est ab eo prouocatus & lacessitus: præsertim cùm in hoc bello agatur salus sociorum atque amicorum, agatur libertas communis: pro quibus optimus quisque vitam profundere, nedú fortunas periclitari honestum putat.

F I N I S.

